



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola Alexandri Papae III. Ad Episcopos Per Tvsciam Constitvtos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

EPISTOLA  
ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EPISCOPOS PER TVSCIAM CONSTITVTOS.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus  
Pisano archiepiscopo, & vniuersis episcopis, & dilectis  
filis abbatibus per Tusciam constitutis salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**Q**VONIAM in agro Domini, qui est ecclesia, tamquam spinæ & tribuli nascuntur quotidie & pullulant germina vitiorum, tum videlicet, quia proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; tum quia inimicus homo de malitia sua zizania superseminare non cessat; & germen bonum nititur suffocare, necesse est diligentiam adesse cultorum, & nunc euellere, & amputare iam nata, nunc etiam nascituris nocuis \* graminibus proficiendi aditum obserare, subsequenter autem & inserere fructiferum germen, & seminare semen bonum, quod trigesimum, sexagesimum, & centesimum fructum, secundante Deo, possit afferre. Nam & hæc verba illa dominica sonare videntur, quibus Ieremiam prophetam, & in eo euangelicum sacerdotem instruxit, dicens: *Dedi verba* Terem. 1. *mea in ore tuo. Ecce constitui te super gentes, & regna, ut enellas,*  
Luc. 22.  
*& destruas, & disperdas, & dissipes, & aedifices, & plantes*  
Ioan. 21.  
Id autem licet vniuersis ecclesiarum rectoribus incumbat, multo tamen fortius imminet Romanae vrbis antistiti, qui a Domino Iesu Christo, ut caput esset ecclesiæ, in beato Petro accepit, & de pascendis dominicis ouibus, & fratribus confirmandis, expressum & speciale noscitur habuisse mandatum. Inde siquidem est, quod nos licet insufficientes meritis ad prouidentiam apostolicæ sedis & ministerium vniuersalis ecclesiæ a Deo, quo (vt ipsi placuit) disponente vocati; quia in ecclesia Dei correctione videimus quamplurima indigere, tam ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quam ad promulganda, quæ saluti fidelium visa fuerint expedire; de diuersis partibus personas ecclesiasticas decreuimus euocandas, quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria, statuantur, & quod bonum, secundum consuetudinem antiquorum pa-

Iii iij

trum prouideatur, & firmetur a multis. Quod si particulariter fieret, non facile posset plenum robur habere. Quo circa per apostolica vobis scripta mandamus, qualiter huic nostræ dispositioni plenis desideriis cooperari cures, & prima dominica aduenientis quadragesimæ ad urbem Romam, ducente Domino, veniatis, & cooperante sancti Spiritus gratia, tum in corrigendis enormitatibus, tum in statuendis quæ Deo grata fuerint, communi studio quod fuerit agendum agatur, & in uno humero subleuemus arcam Domini, atque uno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Datum Tuscui vndecimo Kalendas Octobris.

### CONCILII LATERANENSIS GENERALIS,

Sub Alexandro III. summo pontifice,

### DECRETA.

#### TITVL CAPITVLORVM.

- I. *De electione summi pontificis.*
- II. *De abolendis ordinationibus ab antipapis introductis.*
- III. *Quales debeant esse qui eligendi sunt ad regimen ecclesia.*
- IV. *Qualiter prelati debeant cum subiectis hospitare.*
- V. *Ne aliquis ordinetur sine certo titulo.*
- VI. *Qualiter prelati debeant proferre sententiam in subiectos.*
- VII. *Ne noui census imponantur ecclesiis.*
- VIII. *Ne ecclesiastica beneficia alii cui promittantur antequam vaccent.*
- IX. *De ecclesia interdicta, & interdictorum sepultura.*
- X. *Ne monachus vel alius religiosus recipiatur sub precio.*
- XI. *Ne clericis in sacris ordinibus constitutis focarias habeant.*
- XII. *Ne clericis presumant faculares procurationes suscipere.*
- XIII. & XIV. *Ne aliquis multas habeat ecclesiæ.*
- XV. *De testamentis clericorum.*
- XVI. *De ordinatione ecclesiarum.*
- XVII. *De presentatione clericorum.*
- XVIII. *Vt prelati prouideant magistris scholarum necessaria.*
- XIX. *Ne laici imponant ecclesiis onera.*
- XX. *Ne torneamenta fiant.*
- XXI. *De treuguis seruandis.*
- XXII. *De pace seruanda.*
- XXIII. *Leprosi sibi meti ipsi priuatum habeant ecclesiam & cæmenterium.*
- XXIV. *Prohibentur Christiani ne seruant Saracenis.*
- XXV. *Ne manifestus usurarius recipiatur ad communionem altaris.*
- XXVI. *Ne Christiani habent cum Iudeis vel Saracenis.*
- XXVII. *De hereticis.*